



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de
Coloniae Agrippinae, 1655**

IX. De Spiritualibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

Item, qui ipse est Christus, eleuetur. Nolo confundi his ineptiis immorari: non possum tamen non mirari extremam eorum amentiam qui tam absurdis, non dicam SS. litterarum Doctores, sed ne homine quidem dignis, opinionibus assentiuntur. O cœcas hominum mentes, ô pectora cœca! O miram diaboli astutiam, & quiduis suis persuadendi artem! Contra nobilem hunc Doctorem, cuius secta post mortem Lutheri præcipue inualuit, circa Annum MDLIV. Lutherani quamuis diuersarum factionum Naumburgi synodum celebrarunt, cui interfuerunt Amsdorffius, Ionas, Pomeranus, Cruciger, Melancthon, Coruinus, Bucerus, & alij: ac post multam disceptationem ac diffensionem, Schuuenckfeldianorum sectam cõcondemnarunt, ac præcipue errores duobus libris Schuuenckfeldij *De duplici statu Christi, & De vero Euangelij usu*, comprehensos.

IX. Schuuenckfeldianorum sectæ affinis est illa quæ *Spiritualium* dicitur, qui & ipsi Scripturam nihil ferè faciunt. Vt enim Schuuenckfeldius passim, ac præcipue in libello *Valere* inscripto, docet, scripturam duos habere sensus, vnum literalem, qui sit in utroque; alterum mysticum & spiritualem, ad quem sola à Deo rapta anima penetrare possit: sic Spirituales solis sibi veram rerum ad religionem pertinentium cognitionem datam esse asserunt. nec opus esse Sacramentis aut vllis alijs subsidijs quam deuota meditatione Saluatorem in Cruce verbis illis *Consummatum est*, pronuntiatis, satis ostendisse; omnia ad salutem peracta, nec vllò amplius opus esse sacrificio, lege, aut Sacramento. Sed & ex his eisdem vltimis Saluatoris nostri verbis, omnes noui isti Euangelici omnium ceremoniarum & sacrificiorum abolitionem euincere ac probare conantur, non considerantes, Dominum & Saluatorem nostrum illis verbis tantum ostendere voluisse, opus Redemtionis nostræ iam à se esse perfectum ac consummatum; & veteri Legi finem impostum; ac verus illud sacerdotale officium in longe excellentius esse commutatum, vt Sanctus Paulus in Epistola ad Hebræos testatur.

Omitto plures minorum gentium, vt ita dicam, hæreticos: quorum memoriam & doctrinam silentio obrui quam posteris tradi satis est. Quot quot vero exstiterunt, à Luthero omnes progressi sunt: qui primus enses gigantibus his ad cœlum oppugnandum, vel potius, tamquam alter Bepus Troianum illum equum, è quo tot arma totum cohortes ad euertendam Ecclesiam prodierunt,

fabricauit. O cœli opprobrium, ac terræ odium, hæretici! qui omnes nulla in re nisi in pessumdanda Ecclesia conspiratis. Sed agite prout lubet, omnes vestras vires contra eam conuertite: stabit illa nihilominus, & tamquam firmissima incus, v estros omnes ictus respuet atque eludet. Cyclopas hos & gigantes infernalis Vulcani ministros, (quorum omnem vim Ecclesia non minus fortiter quam rupes fluctuum impetum excipit ac frangit) merito dixerimus: videamus tamen an *ijdem locusta ille sint, quarum in Apocalypsi ex ore infernalis putei egressarum sit mentio.*

HAERESION QVAEDAM FIGV.

IA, ex Apocalypsi petita.

CAPVT XVII.

ARGVMENTVM.

- I. *Quæ sit stella illa in Apocalypsi è cœlo delapsa.*
- II. *Ante Lutheri aduentum Fides fuit vniformis.*
- III. *Quid significet fumus qui aerem obscurauit.*
- IV. *Quæ sit turba illa locustarum.*
- V. *Modus quo locusta progressæ sunt.*
- VI. *Regem non habent visibilem hæretici vs Locusta sed inuisibilem.*

Multitudinem illam hætenus confuso quodam ordine à nobis repræsentatam sectarum multitudinem non sine stupore intuenti, illud D. Ioannis de locustis ex abyssi puteo egressis vaticinium (a) itemque alia nonnulla ibidem prodita, impleta videntur. Per stellam illam è cœlo delapsam quid aliud intelligas quam Lutherum Monachum, hominem è terra quasi ad cœlum eleuatum, puritate & splendore quodam Ecclesiastici ordinis coruscantem primò, deinde vero Mundi huius cœno immersum, in cœstuosis innexam nuptijs, & in carnis & sanguinis voluptatibus sese volutantem, (b) qui vt prius Dei amore parentes, & fortunarum ac dignitatum spem omnem à se abdicarat: sic eandem rerum spe ac dignitate, omnem rursus pietatem ac religionem abiecit ac proculcauit. Et sic: à Saluatore nostro D. Petro Apostolo cœlorum clauis data sunt; sic ei qui per stellam hanc designatur, à Sathana clauis infernalis putei tradita à S. Ioanne scribitur: è quo aperto, fumus tamquam ex magna foenace exierit, solemque obscurauit.

Bb 2

II. Ante

a Vide Bellar. in Resp. ns contra Chytraum: & P. Cotton, in Apologia. b Apocal. 9.